

Non nisi post longum tempus ingentesque multorum interpretum et criticorum labores gradatim constitutus est Aeschyli textus qualis nunc legitur. Utique nulla aut tragicorum aut comicorum singularis fabula tot editores et censores criticos nacta est quot Aeschyli Agamemnon. Attamen etiam nunc multum ad textus integritatem restituendam faciendum restat: quod facile quis cognoscet, si varias nostri editiones conferat largamque lectionum aut receptarum aut propositarum multitudinem ac diversitatem animadvertat.

Mihi quidem in re critica haec ratio proposita est, ut nullam difficultatem sciens praeterirem, sed omnes pro viribus tollere conarer. Et non raro, ut spero, veram mihi lectionem invenire contigit; ubi nodum solvere non potui, materiam criticam congressi pluraque tentamina proposui, quae fortasse aliis emendandi viam aperient. Dimidium enim medelae latentis corruptelae indicationem esse experientia doctus affirmare possum. Facillimae quaeque emendationes, ut expectandum erat, jamdudum factae sunt ab editoribus aut criticis, Turnebo, Cantero, Victorio, Scalligero, Aurato, Stanleio, Casaubono, Abreschio, Schutzio, Blomfieldio, Hermanno, aliisque multis; quae vero faciendae restant longe difficiliores sunt. Non tamen vel in locis difficillimis et prope conclamatis desperandum esse ostendunt eximiae conjecturae quae identidem in lucem prodeunt. Correctiones locorum paene desperatorum haud paucae praesertim in melicis accuratae nostri legum metricarum observationi debentur. Ejiciendae autem erant nonnullae conjecturae in textum injuria receptae; contra recipiendae erant non paucae eximiae emendationes adhuc immerito neglectae. Longe quidem Schutziano aut etiam Blomfieldiano puriorem esse hodiernum Aeschyli textum fatendum est, tantos hujus saeculi dimidio posteriori, quae jure aurea studiorum Classicorum aetas appellari potest, progressus fecit Graecarum literarum cultus. Vix tamen etiam post tot eruditorum virorum conamina sperare ausim textum nostri unquam sine novorum ac meliorum codicum ope multo emendatiorem factum iri, adeo multi loci, etiam ubi nulla vitii suspicio suborta est, emendandi restant.

In illustrandis locis, praesertim obscurioribus, erunt fortasse qui me justo majorem similium locorum copiam apposuisse opi-